

XII

eiusmodi consequeretur, quae ordini nostro, aliisque peritis artis aestimatoribus probaretur. Quae quidem ne forte cupidius quam verius dixisse videamur, de vitae ac studiorum Eius ratione breuiter exponemus, vnde apparet, quibus et praeceptis et institutis adiutus, ad doctrinam, summis apud nos honoribus dignam, adspira-
verit.

Scilicet natus est Clarissimus Candidatus Mitweidae, anno huius seculi undequinquagesimo, die decimo octavo mensis Nouembris, patre vsus H A V B O L D O E R D M A N N O, saltuariorum praefecto Regio-Electorali, prae-matura morte ipsi erepto, matre vero E L E O N O R A C H A R L O T T A, e gente F R Ö L I C H I A, quam adhuc superstitem pie veneratur. Hi igitur parentes fidelissimi, quanquam nihil prius et antiquius habebant, quam vt filium honeste educarent, et utilissimis rebus instruendum curarent, tamen haec illorum cura plurimum retardabatur nativa contorsione utriusque pedis extremi, qua ipse laborabat, cuiusque molestiis grauissima disciplinae puerili impedimenta obiici sentiebat. Sed per summam bene-ficentiam D. R E G I N A E, M A R I A E I O S E P H A E, sumtus curationis indulgentissime suppeditantis, itemque per prudentiam et curam b. M A N D A N I et Excell. P I T-S C H E L I I effectum est, vt intra biennium saluus resti-tueretur, cuius beneficii gratissimam semper memoriam apud se fore pollicetur. Hinc itaque usu pedum donatus, vitaeque adeo ipsius fructum adeptus in scholam pa-triam deductus est, ubi ex Magistris idoneis, W I S N E R O, H O F F M A N N O, S C H U L Z I O et M A R T I N O, necessaria religionis et literarum praecepta didicit. Quibus du-cibus cum fundamenta doctrinae non contemnenda ie-cisset, anno sexagesimo tertio Dresdam abiit, commen-datus